Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistulae - Cod. Aug. perg. 52

[S.l.], [9. Jh.]

Augustinus an Hieronimus

urn:nbn:de:bsz:31-6736

Visual Library

et peregrinationis molestias sustinemus. sed credimus in eo qui dixit: confidite ego uici mundum.
Quod ipso tribuente et preſsole contra hostem diabolum uictoriam consequamur. Sanctum et uenerabi
lem fratrem nostrum papam alipium ut in eo obsequio salutes obsecro. Sancti fratres qui nobiscum in mo
nasterio dño seruire festinant oppido te salutant. Incolomem te et memoriam mei xp̄s dš
noster tueatur omnipotens. dñe uere sce et suscipiende papa.

AV GVS TI NVS PRE SI DIO S.

Domino beatissimo et merito uenerando fratri et consacerdoti presidio augustinus in dño
salutem. Sicut presens rogaui sinceritatem tuam. nunc quoque commoneo ut litteras me
as sco fratri et conp̄bro nostro hieronimo mittere non graueris. Ut autem nouerit caritas
tua quemadmodum etiam tu illi pro me scribere debeas. Misi exemplaria litterarum me-
arum ad ipsum et ad me ipsius. quibus lectis pro tua sca prudentia facile uidebis et modum me
um quem seruandum putaui et motum eius quem non frustra timui. Aut si ego quod non debui
aliquid scripsi non ad illum de me. sed ad me ipsum potius fraterna dilectione mitte sermonem.
Quo corrigatur petam ut ignoscat si meam culpam ipse cognouero.

EPISTOLA SCI AVGVSTINI AD SCM HIERONIMVM.

Cur [illegible] conor contra tractum fluminis et non potius ueniam deprecor. Obsecro ut si
te lesi dimittas mihi. nec me uicissim me ledendo malum pro malo reddas. Ledes enim si mihi tacu
eris errorem meum. quem forte inueneris in dictis meis. Nam si ea in me rep̄hendis que rep̄hen
denda non sunt. te potius ledis quam me. Quod absit a moribus et sco proposito tuo ut hoc facias.
Potest enim fieri ut ubi uideantur aliud quam ueritas habet. Nam et ego amicissimam rep̄hen
sionem tuam si tranquillus accipere non debebo. Melius tumor capitis dolet cum curatur. quam
dum ei parcitur non sanatur. Hoc est enim quod catus uidit qui dixit utiliores esse plerumque
inimicos iurgantes. quam amicos obiurgare metuentes. Illi enim dum rixantur dicunt aliquan
do uera que corrigamus. Isti autem minorem quam oportet exhibent iustitie libertatem. dum
amicitie timent exasperare dulcedinem. Quapropter etsi bos ut tibi uideris lassus senectute forte
corporis non uigore animi. Tamen in area dominica fructuoso labore desudans. ecce sum. Siquid
perperam dixi fortius fige pedem. Non mihi esse debet molestum pondus etatis tue dummodo conte
ratur palea culpe mee. Proinde illud quod in extremo epistole tue posuisti cum magni desiderii suspi
rio uel lego uel recolo. Utinam mereremur amplexus tuos et conlatione mutua uel doceremus aliqua
uel disceremus. Ego autem dico. utinam saltim propinquis terrarum locis habitaremus. ut si non possemus
misceri nostra conloquia. littere possent esse crebriores. Nunc uero tanto locorum interuallo absum
a sensibus nostris ut de illis uerbis apostoli ad galatas. iuuenem me ad tuam scitatem scripsisse memi
nerim. Et ecce iam senex non sum rescripta meruerim. Faciliusque ad te exemplaria epistole mee pue
nerint. nescio qua occasione preueniente. quam ipsa epistola me curante. Homo enim qui eam tunc
acceperat nec ad te pertulit. nec ad me retulit. Tante enim mihi in litteris tuis que in manus nostras ue
nire potuerunt apparent res ut nihil studiorum meorum mallem si possem. quam inherere lateri tuo.
Quod ego quia non possum aliquem nostrorum in dño filiorum erudiendum nobis admittere cogito. si tamen
de hac re tua rescripta meruero. Nam neque in me tantum scientie scripturarum diuinarum
est. aut esse iam poterit. quantum in te esse uideo. et si quid in hac re habeo facultatis cuiuscumque.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg